IN FVNERE
ILLVSTRISS.MI AC REVER.MI
IO: BAPTISTAE ZENI
S. R. E. CARD. AMPLISS.

Oratio


A LEONARDO DE VICO, IACOBI
à Secretis Excellentissimi Senatus Filio.
Et Io: ANTONII GROMI alumno.

In Augustissimo D. Marci Templo,

SERENISS. PRINCIPE, SENATVQ.
Veneto audiente publice habita

Anno CIↃIↃCXIII. Mense Maio.





VENETIIS, M. DC. XIII.

Apud Franciscum Rampazettum Impressorem Ducalem.

ILLVSTRISSIMO
ANDREAE MAVROCENO
SENATORI AMPLISSIMO.

Leonardus de Vico Iacobi filius, S.


ALIORVM *consuetudine magis, quam gloriæ auiditate ductus Oratiunculam hanc in funere Illustrissimi, ac Reuerendissimi Cardinalis Zeni à me habitam; edendam, ac diuulgandam curaui. Quod cum facturus essem, neminem habui, cuius sub patrocinio magis quam tuo eandem in publicum prodire vellem. Non modo, quod ipsa, quo per se tenuior erat, eo firmiori adminiculo indigebat; sed etiam, quod tota domus nostra addictissima semper fuit Illustrissimæ Familiæ Maurocenæ, ex qua sicuti viri summi omni tem-*

pore floruerunt; ita nunc tu ex ipsa ortus, integritate, eloquentia, doctrina, & virtutibus omnibus ornatus in Reip. administratione talem te praestas; vt maiorum tuorum dignitati respondeas; immo ipsam magis, magisq; augeas. Quid longius repetam necessitudinem, quae Auo meo Magno Cancellario, cum Patre tuo Illustrissimo viro summa intercessit? quid Parentis mei, omniumq; nostrum obsequentissimam tibi voluntatem? quid benignitatem erga nos omnes tuam? quae omnia ad hanc Orationem tibi dicandam me impellebant. Huc adde, quod tibi optimarum artium amantissimo, liberaliumq; studiorum Instauratori, quodam quasi praecipuo iure tuo, hae laborum meorum primitiae debebantur. Illud erat extremum, quod haud scio an primum putem. quia scilicet in hac breui Oratione quaedam de Pietate erga patriam, cuius studiosissimum te semper praebuisti, continentur. Hoc igitur munusculum, obseruantiae erga te meae signum, hilari accipe fronte, quod si tibi rude, & exiguum esse videbitur; aetatulae meae, qui nondum xij. annum attigi, simulq; temporis angustijs ignosces. Quid enim magnum semihorae curriculo pronunciari potuit? Res praeterea saepius ab alijs tractata difficiliorem quodammodo efficiebat orationem meam. Nihil enim mihi proferre licebat, quod ab alijs antea non fuisset dictum, & quiddam tale excogitandum erat; vt ego res ab alijs tractatas repetens ipsorum vestigijs

stigijs

ſtigijs inhærere nequaquam viderer. Quod ſi (te iudice) aliqua ex parte me conſecutum fuiſſe ſenſero; labores hoſce à me non fruſtra ſuſceptos eſſe arbitrabor. Vale.





ORATIO.



Error, ne quis vestrum (Serenissime Princeps, Illustrissimi Oratores, Amplissimi Patres) mihi vitio vertat, temeritatemque, meam improbet; quod ego, qui non modo ad agendum, sed ad audiendum quoque, alicui fortasse, videor parum aptus; cum nihil auctoritate, nihil exercitatione, nihil arte, nihil ingenio valeam, locum hunc ad dicendum amplissimum; quo nihil nisi perfectum ingenio, & elaboratum industria afferri oporteret, ausus sim conscendere. Altera vero ex parte diuinus iste conspectus vester summam præ se ferens benignitatem, atque clementiam, mihi non solum mente; sed etiam voce, ac corpore contremiscenti animos addit; me confirmat, me excitat, me impellit. Atque eo magis etiam, quod id onus viribus quidem meis impar, non absque caussa tamen a me receptum fuit. Primum enim ab ijs mihi impositum est, quorum voluntati, ac nutui me non morem gerere, nefas esse arbitror. Deinde, hanc orationem meam, qualiscunque erit, ipsi Illustrissimo Cardinali Zeno; cui, hodierno die funus ex veteri S.C. solenni pompa publice instauratur, non inhonestam futuram confido. Nam cum eius laudes superioribus annis summorum, præstantissimorumque Oratorum stylo, & eloquentia fuerint celebratæ: si ego nunc hac rudi, atque puerili voce mea eundem commendauero, efficiam vt posthac

iure dici poſſit : illum a ſummis, atque infimis laudatum fuiſſe. Tum, quemadmodum contingere ſolet; vt mellis dulcedinem magis ſentiamus, cum amarum aliquod degu-ſtauimus, ita vos, Auditores ornatiſſimi, ex elegantiſſimis eorum orationibus, qui ex hoc loco, aut ante me verba fe-cerunt, aut poſt me facturi ſunt, ſuauiorem voluptatem percipietis, ſi nunc me pingui (vt aiunt) Minerua agentem audiueritis. Poſtremo, tale mihi argumentum proponitur, in quo oratio nemini quamuis imperito, poſſit deeſſe. Di-cendum eſt enim de Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Cardi-nalis Ioannis Baptiſtę Zeni ſingulari, eximiaque virtute, quæ tantam dicendi ſegetem præbet, vt orationis diffici-lius ſit exitum, quam initium inuenire. Itaque non tam co-pia erit mihi conquirenda, quam ſatietas veſtra refugienda. Verum ego breuitati ſtudens, quæ & meæ huic ætati, & occupationibus veſtris grauiſſimis aptior erit, ea quæ de ipſius Patria, Familia maioribus; de ſumma religione, in-tegerrima vita, diuino ingenio, admirabili doctrina, ſcien-tia ac cognitione omnium rerum inaudita diſertiſſime ab alijs, ac ſępius diſputata fuerunt, penitus omittam; & de ſingulari tantum ipſius erga patriam pietate paucula dicam, quæ cum breuiter attigero, perorabo. Sed huic eius virtu-ti, quæ poterit par oratio inueniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuique inauditum poſſit afferre? nemo enim ignorat, quanto is patriæ amore ſemper exarſerit; qui cum adhuc etiam puerulus eſſet Patrię, ac Reipublicæ caritatem crebérrimis ſermonibus vſurpare conſueuiſſe fertur: vt vero e pueris exceſſit, & ad maiora ſe contulit; cum aliæ virtutes omnes, quibus is ornatiſſimus erat, tum hæc in primis vna cum ætate ita creuit, vt nihil addi poſſe videretur. Optime enim recordabatur, quæ ex ſapientiſſimorum virorum libris didicerat: Nihil eſſe ex omnibus rebus humanis præclarius, aut præſtantius, quam de Rep: benemereri. & : Non ſolum nobis natos nos eſſe,

ſed

sed etiam patriæ. Et: Neminem patriæ parem referre gratiam, etiam si vitam impendat. Confirmabaturque præclaro illius Lacenæ responso, quæ cum filium in prælium misisset, & interfectum audisset: Idcirco (inquit) genueram; qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. Itaque Zenus noster, vt huic Patriæ suæ vtilitati esset, atque ornamento, & vt quod ipsi debebat, quoad eius fieri posset persolueret; nullum incommodum, nullum sumptum, nullum laborem, nullum denique periculum subterfugit. Nec quisquam vnquam damnum, aut suam ipsius infamiam tanto studio euitauit, quanto ille patriæ vtilitatem, ac decus semper consectatus est. Et cui id dubium esse poterit? cum vnicuique pateat, & oculis ipsis cernatur, multis, & varijs rebus ab eo patriam exornatam fuisse? nam ille varia templa instaurauit, ornauit, auxit, struxit. Ex quibus D. Fantini celeberrimũ fanum maximo sumptu constructum omnibus se præbet intuendum. Loca item cum ad peregrinantes excipiendos, tum ad ægrotantes curandos instituit, ac sustentauit. Quid? cum is liberalitate sua incredibili remp: ex hostium faucibus ereptam incolumem præstitit? quo pacto? cum Genuenses magnis copijs illam oppugnarent, diuturnisque bellis exaustum esset ęrarium, & idcirco magno in discrimine respublica versaretur, quod nummi ad classes, exercitusque sustentandos deficerent; quid ille? vbi id cognouit (erat enim Romę) e vestigio pecuniam ad belli subsidia reip: dono misit. Quantam? quanta satis esset non modo ad rempublicam defendendam; sed etiam ad hostes confringendos. Quid insuper? magnificentissimum ipsum munus humanissimis verbis est prosecutus, inquiens: Quæcunque ipse possideret ea non magis sua a se iudicari, quam Reipublicæ, & se paratissimum esse, non solum, ad rem omnem, sed vitam quoque ipsam, ac sanguinem libentissime pro patria effundendum. Qua quidem eius liberalitate ab imminenti exitio hæc pulcherrima vrbs tunc liberata fuit,

quæ

quæ gloriosum sibi duxit, auro, & argento priuati ciuis sui conseruatam fuisse, vt olim nummis ex corio confectis incolumen se præstitisse, gloriosissimum putauit. Sed singula me persequi haud necesse esse arbitror. quare alia, quæ huius generis ille fecit plurima, sciens, prudensque ne longior sim prætereo; ea tamen licet ipse non enumerem, vos prudentissimi Auditores assequi potestis coniectura. Ego tantum dicam, nullo vitæ suæ tempore, nullo loco hunc Patrię defuisse. Immo cum maximis, honestissimisque perfunctus laboribus, pręclarissimisque rebus gestis, ad cęlestia præmia se vocari sentiret, Roma discessit patriam versus; vt si fieri posset, vbi primum duxerat spiritum, ibi quoque supremum redderet; & vbi oculos primum aperuerat, ibi quoque tandem eosdem clauderet. Sed cum Patauium peruenisset, ingrauescente morbo, rebus suis optime compositis, Deo creatori innocentissimam animam reddidit. Et cum in omni vita, quanto patriam amore prosequeretur, ostendisset; id post obitum quoque suum omnibus perspicuum esse voluit. Nam cum quædam varijs pijs operibus legasset, bonorum suorum omnium, quæ maxima, & fere incredibilia erant Rempublicam hæredem instituit. O virum præstantem, omnique laude dignum. O ciuem eximium. O Patriæ pietatem inauditam. Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare dicendo; sed ne recensere quidem enumerando possit singula huius viri merita, ac res in hac vita præclare ab ipso gestas; in quo Fortuna, ac Natura certatim omnia bona sua congesserant; in quo virtutes magnitudine maximę, numero innumerabiles, præstantia præstantissimæ elucebant. tamen affirmo, & hoc bona illius venia dicam, qui nunc e cęlo me audit; nullam ex his esse laudem ampliorem, quam eam, quam ex patriæ ardentissima caritate consecutus est. Sæpe ante mentis oculos mihi pono, mecumque ipse considero illius eximias virtutes, quæ non

modo

modo ex annalium monumentis; sed etiam ex ipsa fama facillime colliguntur: quam sapiens in diuinarum, humanarumque rerum scientia fuerit; quam prudens in appetendis, fugiendisque rebus; quanta fide in rebus creditis; quanta patientia in aduersis; quanta humilitate in secundis; quanta moderatione in omnibus animi perturbationibus regendis, ac coercendis; quanta beneuolentia in amicitijs; quanta fortitudine in periculis, ac laboribus; quanta liberalitate in vsu pecuniæ; quanta benignitate erga omnes: sexcenta alia ornamenta possem recensere, quæ illum immortalem fecerunt. Incredibili tamen erga patriam pietate nihil insignius, nihil egregius, nihil admirabilius. Nam virtutes cęteræ quamuis magnæ sint, immo maximæ; tamen ipsi cum alijs permultis viris præclarissimis fuerunt communes. In qualibet enim ætate viri magnis virtutibus ornati floruerunt; at immensa Patriæ pietas, quæ nullam commodi sui rationem ducat, nullam gloriam suam respiciat, nihil spectet, nihil curet aliud, quam Patriæ, & Reipublicę bonum, meo iudicio, perrara semper in terris extitit. Damaratus quidem Lacedęmonius patria pulsus, cum Athenis exularet ciues suos belli admonuit, quod aduersus eos tacite Athenienses comparabant. Erectęus, vt sibi ac patriæ victoriam, acquireret filiam immolauit. Themistocles patria eiectus, vt ab ea se oppugnanda abstineret sanguine taurino epoto mortem sibi consciuit. Duo fratres Carthaginienses Phileni nomine viuos se obrui passi sunt, vt patriæ suę fines dilatarent. Aristoteles, cum audisset Stagyram patriam suam ab Alexandro Rege euersam, ab eodem, vt instauraretur, precibus impetrauit. Tres Decij vitam suam pro patria deuouerunt. Curtius in terræ hiatum, se immisit, vt patriam à peste liberaret. Ancurus Midę regis filius præceps in aliam item voraginem desilijt; vt patrię suę opem ferret. Genucius Cipo voluntarium sibimet, ac perpetuum indixit exilium; ne patrię suæ Rex esset. Hos

fama

fama ad sydera tollit ob caritatem, & amorem erga patriam tamen si facta singulorum diligentius considerantur, quilibet ipsorum, alicui fortasse videri poterit, patriæ inseruiuisse, aut parua in re, aut semel tantum in vita sua, aut quadam temeritate magis, quam prudentia ductus, aut etiam suæ potius vtilitatis, ac gloriæ, quam reipublicæ, ac patriæ caussa. Quod de Illustrissimo, ac Reuerendissimo Zeno nostro non modo vere dici, sed ne suspicari quidem potest. Cum in omni tempore, ac loco, nulla sui commodi, aut laudis habita ratione rempublicam adiuuerit. Quod si ei non contigit, vt vitam pro patria effunderet, omnibus tamen notum est, illum ad omnia pro republica subeunda pericula paratissimum semper extitisse, ita vt si fortuna vlla id postulasset, mortem quoque ipsam pro ea non esset recusaturus. Itaque gloriosum quidem Illustrissimo Cardinali nostro fuit in hac vrbe natum esse, quæ in medijs sita fluctibus tanta omnium admiratione conspicitur, vt nihil in orbe terrarum admirabilius esse posse, quasi vna omnium voce prædicetur; quæ ita vndis vndique cingitur, & intersecatur: tam multis ædificijs constat, tamque excelsis molibus se extollit; vt intuentibus dubium relinquat, magisne in aquis, an in terris, an in aere dominetur. Gloriosum quidem Illustrissimo Cardinali nostro fuit huius reipublicæ ciuem patricium fuisse, quę semper extitit optimorum institutorum officina, religionis exemplum, maiestatis domicilium, virtutum hospitium, Christianæ fidei tutamen, ac propugnaculum. Gloriosum quidem Illustrissimo Cardinali nostro fuit ex antiquissima Zenorum familia originem ducere, ex qua tot insignes viri orti sunt, ex qua Rhennerius ille Venetiarum Princeps, qui Genuenses classe bis deuicit; ex qua tot Andreę, Petri, Caroli, Catareni legationibus, imperatorijs virtutibus, titulis, victorijs, summorum Principum, ac Regum clientelis, atque affinitatibus, & Procuratoria denique dignitate clari floruerunt. ex qua Raphael, ex qua Nicolaus celeberrimi effulserunt.

serunt. Gloriosum quidem Illustrissimo Cardinali nostro fuit ex Patre Ioanne Zeno ortum fuisse, tanta virtute, & humanitate ornato viro; vt cum aliquandiu Diui Marci Procurator extitisset, tandem dignitatem illam ab alijs magno studio conquisitam vltro deposuerit. Ex Matre vero lectissima fęmina e Barborum familia, quæ duorum Pontificum Maximorum propinquitate emicuit: cum fuerit Eugenij Quarti Neptis, & Pauli Secundi Soror. Gloriosum denique Illustrissimo Cardinali nostro fuit, a Pontifice summo ad amplissimum Ecclesiasticæ dignitatis gradum euectum, & purpureo galero virtuti, ac meritis debito, omnibus ordinibus, hominibusque plaudentibus decoratum fuisse. Attamen omnium gloriosissimum ipsi fuit, semperque erit cum virtutibus alijs omnibus; tum pręcipue pietate erga patriam insigni ornatum fuisse. Hinc enim fiet; vt etas nulla vnquam de ipsius laudibus conticescat: ac tantę gloriæ nulla allatura sit finem dies. Immo quotidie magis, magisque eius virtutis efflorebit memoria. Nam quemadmodum legimus senescentem Phœnicem cassia, & thure, & alijs odoribus nidum, seu potius rogum sibi struere, vt ex illo funere postea renascens vitam sibi ęternam compareт: ita Cardinalis noster plurimis ac maximis in rempublicam collatis beneficijs præclarissimum sibi construxit funus, ex quo nouę Phœnicis instar, eius gloria sempiterna reuiuiscat. Et profecto ex omnibus rebus humanis nihil in terris est patrię pietate maius, nihil venerabilius. Quid enim respublicas seruat? Pietas. Quid illas per omne tempus intactas tuetur? Pietas. Quid ciues immortales reddit? Pietas. nam ex Pietate præclarę actiones, ex præclaris actionibus gloria, ex gloria nascitur immortalitas, & ideo eius maiestati, vt ille inquit, non modo fraterna caritas æquo animo, ac lubenti cedit; sed illa quoque, quę diuino numini ęquatur auctoritas parentum vires suas subijcit: nec sine caussa. Nam euersa domo intentatus reipublicę status manere potest. Vrbis

ruina

ruina penates omnium trahat secum necesse est. Tu quidem Illustriss. ac Reuerendiss. Zene summo patriam amore prosecutus fuisti. Sed in hoc fęlicissimus es. Si enim amor nulla alia re compensari potest, quā amore; amore summo à patria compensatur amor tuus. Ecce enim quāta animorum alacritate, quanto studio, quanto concursu etiam cętesimo, & vndecimo post anno funeris tui memoria quotannis recolitur. Ecce quanto silentio, quanta attentionę, me de te verba facientē audit hic frequentissimus concursus, hic amplissimus totius orbis terrarum consessus. Immo, verę dicam, huius augustissimi templi parietes quoq; & columnæ ipsæ mihi vidētur gestire, te laudibus efferre. Sed quo me patrię rapit pietas propositi mei, ac pręscripti mihi temporis pene immemorē? iam orationi huic meæ finis constituendus est, ne silentio vestro abuti videar. Illud vnum subnectam: viri huius vitam, qui sui ornamento, exteris admirationi, sibimet glorię immortali fuit; totam ciuibus omnibus singulare exemplar extitisse, quod intuentes vitę suę cursum ad immortalitatem dirigant. Nam is omnium gentium litteris, ac linguis celebrabitur, & immortalis viuet, non tam quod respublica monumentum ex ęre ductum ei constituit; in quo ipsius Illustrissimi viri cineres conseruentur; quam quod aliud monumentum omni ære, omni auro preciosius erexit; in quo nomen, ac gloria Cardinalis Zeni non mortua iaceat: sed viua semper floreat; scilicet corda vestra, Sereniss. Princeps, atq; optimi ciues. Illud quidem ęreum per multa secula permanebit; sed quoniā nihil est labore, aut manu factū, quod ipsius temporis ictibus non possit confringi, tandem consumetur. At laudem, at gloriam animis hominum insertam nulla delebit obliuio, nulla obliterabit vetustas; immo illam posteritas alet, illam ipsa ęternitas semper tuebitur. Felix Respublica, quę tales nacta es Ciues. fęlicissimi Ciues, qui ita gratam, ita memorem nacti estis patriam. Cui à Deo Optimo Maximo boni omnes imperium precātur felicissimum, ac sempiternum.

FINIS.